3.

3º

ESTE ES VN TRASLADO BIEN Y fielmente sacado, corregido y concertado, de vn Breue de su Santidad del Papa Clemente octauo, concedido al Rey don Felipe nuestro Señor, Tercero deste nombre, su data en Roma, a diezisiete de Otubre, de mil y seiscientos y quatro, Sobre la contribucion del Estado Eclesiastico en el Seruicio de los diezíocho millones, con que estos Reynos siruen a su Magestad, en lo procedido de la sisa del vino y azeyte, y sus ensanches, cuyo tenor del dicho Breue es como se sigue.

CLEMENS PP. VIII.

CHARISSIME in Christo fili noster, salutem, & Apostolicam benedictionem. Alias cùm accepissemus, Regna tuæ Coronæ Castellæ in Comitijs, seu Curijs, tunc nouissimè habitis animaduertendo, Maiestatem tuam pro Catholicæ Religionis defensione, & obedientiæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ conseruatione, in tuis, ac exteris dictionibus & Regnis, grauissimis quotidie sumptibus vrgeri, ita vt ærarijs claræ memoriæ Philippi Secundi Hispaniarum Regis Catholici genitoris tui, ac tuis ferè consumptis. Tu illos, nisi aliquo subsidio à tuis subditis subleueris, vlterius ferre non posses: propterea quædam superadditionalia seruitia, siue subsidia, ad sexennium duratura, super vino & oleo in præfatis Regnis colligendis & consumendis, pręstare libenter obtulisse: Nos promptam eorumdem Regnorum, & subditorum tuorum in Maiestatem tuam voluntatem, & deuotionem, & quòd alacri animo proprias facultates, & substantias pro Catholicæ Religionis conseruatione conferre proposuissent, tunc summopere com-

mendantes, tuæque in præmissis attestationi (vt par erat) fidem adhibentes, pro faciliori seruitiorum, seu subsidio rum huiusmodi præstatione, illa per ecclesiasticas etiam personas coadiuuanda esse censuimus. Ac propterea Mo tu proprio, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes & singulas Ecclesiasticas personas, tàm seculares, quàm cuiusuis, etiam exempti, & Apostolicæ Sedi immediatè subiecti ordinis regulares, necnon monasteria vtriusque sexus, conuentus, collegia, ac Ecclesiarum Capitula eorumdem Regnorum, & in eisdem Regnis commorantes & consistentes, ad conferendum, & contribuendum proportionabiliter, prout laici, in dictis superadditionalibus seruitijs, seu subsidijs, & ad soluēdum gabellas, seu Sisam eorum occasione super vino & oleo in prædictis Regnis colligendis & consumendis imponendam, seu forsan impositam, ad instar laicorum, durante dicto sexennio, & non vltra, teneri, & obligatos existere voluimus atque mandauimus, & quatenus opus esset, opportunis iuris & facti remedijs, etiam per exactores dictorum superadditionalium seruitiorum, seu subsidiorum, aut eorum occasione imponendæ, seu impositæ gabellæ, siue Sisæ huiusmodi, ad tui libitum constituēdos & remouendos, cogi & compelli posse concessimus, prout in nostris desuper in forma Breuis sub dat. die xxiij. Ianuarij M. D C. I. Pontificatus Nostri Anno nono.

ET Deinde per nos pariter accepto, quòd in Comitijs, seu Curijs eorundem tuorum Regnorum tunc proxime celebratis consideratum fuerat, superadditionalia seruitia, seu subsidia supradicta, Tibi ad sexennium oblata, & (vt præfertur) præstanda, quæ in totum ad decem & octo decies centena millia aureorum nummorum ascendere debebunt, & ex quibus tria decies centena milia similiter nummorum aureorum quotannis præstanda erunt, ex gabella, seu Sisa super vino & oleo in prę

dictis

dictis Regnis colligendis & consumendis imposita, sine magno & excessiuo populorum grauamine colligi non posse: & propterea pro minori eorundem populorum detrimento plurimum expedire, & huiusmodi gabella, seu Sisa ad carnes in eisdem Regnis vendendas extenderetur: ita tamen, vt propterea summa prędicta nullo modo cresceret: & ipsa gabella, seu Sisa super vino & oleo imposita cum effectu non augeretur: & ex istis tribus rerum speciebus tota summa prædicta, tantummodo congereretur. Ideoquè de huiusmodi extẽsione gabellæ seu sisæ ad carnes facienda inter eos maturè resolutum fuerat. Et quia hæc gabellæ, seu sisæ ad tertiam carnium speciem extensio, prædictam summam nullo modo augebat, atque ab ipsis etiam Ecclesiasticis faciliùs solui & ferri poterat, Nos, Maiestati tuæ ampliorem gratiam facere volentes, Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, omnes & singulas Ecclesiasticas personas, tàm seculares, quàm cuiusuis, etiam exempti, & Apostolicæ Sedi immediatè subiecti ordinis regulares, necnon monasteria vtriusque sexus, Conuentus, Collegia, ac Ecclesiarum Capitula Regnorum prædictorum, & in eisdẽ regnis commorantes & consistentes, pro contributione per eos, vt in alijs supradictis literis concesseramus, proportionabiliter, prout laici, in dictis superadditionalibus seruitijs, seu subsidijs facienda ad soluendum gabellam, seu sisam huiusmodi, à vino & oleo prædictis, ad carnes etiam, vt præfertur, extendendam: ita tamen, vt nec summa prædicta augeretur, nec tempus sexennij iam currentis protraheretur, æquè ac laicos teneri, & obligatos esse voluimus, ac statuimus, & ordinauimus, & quatenus opus esset, opportunis iuris & facti remedijs, & per exactores dictorum superadditionalium seruitiorum, seu subsidiorum, & gabellarum, seu sisarum eorum oc-

 casio-

casione, vt præfertur, impositarum, ad tui libitum constituendos, & remouendos cogi, & compelli posse cōcessimus. Sed ne aliqua laicis in Ecclesiasticos iurisdictio, seu facultas illos compellendi concessa censeretur, declarauimus, nostræ intentionis fuisse & esse, vt exactores prædicti Ecclesiasticos recusantes, non per se ipsos, aut alios seculares ministros, sed adhibita ordinariorum locorum authoritate, & coram eisdem ordinarijs, quibus districtè præcipiendo mandauimus, vt contra recusantes Ecclesiasticos & regulares, etiam exemptos, nobisq; & Apostolicæ Sedi immediatè subiectos, ad quamcunque simplicem eorumdem exactorum requisitionem executiuè, quacunque appellatione remota, authoritate nostra procederent, compellere valerēt & deberent, prout in alijs sub Dat. die xj. Augusti. M.DC.III. Pontificatus nostri anno XII. in simili forma Breuis expeditis literis plenius continetur.

CVM autem sicut Maiestatis tuæ nomine nobis nuper expositum fuit, in vltimo dictis Comitijs, seu Curijs, in quibus gabella, seu sisa prædicta prius super vino & oleo imposita, ad carnes extēsa fuit, ex eo quòd istæ rerum species sunt valde vniuersales, pro diuitibus & pauperibus, ad effectum, vt omnes minus grauarentur, declaratum fuerit, vt in prædicta gabella seu sisa vini & olei contribuere deberent, nonsolùm ementes, & vendentes, sed ij etiam, qui illa perciperent ex proprijs terrenis, aut ex affictibus, aut emerent in vuis, & oliuis, seu colligerent pro decimis, aut etiam dono acciperent, vel aliàs ex quouis alio reddit u & introitu haberent, & consumerent in proprijs domibus, & pro eorum & familiarum suarum vsibus, & similiter: quod nonsolum de vino, sed etiam de musto aquato, & aceto intelligeretur: & vlterius, quòd eadē gabella seu sisa, vsque ad integram exactionem dictæ summæ de-


cem

cem & octo decies centenorum millium nummorum aureorum durare deberet. Et quia prædictæ declarationes in nostris literis prædictis expressæ non fuerũt, ideò Maiestas tua cupiat, ad tollendam omnem dubitandi occasionem, id per nos declarari, ac etiam tempus dicti sexenni extendi & prorrogari. Nos votis tuis quantum cum Domino possumus, annuere volentes, ac singularum literarum prædictarum tenores præsentibus, ac si ad verbum inserti forent, pro expressis habentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, harum serie decernimus & declaramus, ecclesiasticas personas, seculares & regulares, ac monasteria, conuentus, collegia, & capitula supradicta, ad soluendum gabellam, seu sisam præfatam, iuxta declarationem supradictam, quoad rerum species, non tamen quoad ea, quæ pro eorum proprijs & familiarum suarum vsibus consumunt, ita vt pro illorum, & suarum familiarum vsibus supradictis sint omninò immunes & exempti, ad instar laicorum, in omnibus & per omnia, iuxta seriẽ, & tenorem vltimò dictarũ literarum: quoad reliqua de cætero teneri, ac perinde in futurum cogi, & compelli posse, ac si in eisdem literis de huiusmodi declaratione specialis mentio habita fuisset. Prætereà, tempus dicti sexennij ad aliud triennium, à fine ipsius sexennij computandum, quo tantùm durante, si prædicta summa decem & octo decies centenorum millium nummorum aureorum congesta non fuerit, adhuc gabellas seu sisas huiusmodi persoluere teneantur. Sed si ante lapsum dicti triennij huiusmodi summa congesta fuerit, ab huiusmodi solutione liberi sint, eo ipso, absque alia declaratione desuper facienda, authoritate & tenore prædictis extẽdimus, & prorrogamus. Volumus autẽ, & earundem præsentium tenore decernimus, vt exactores dictæ gabellæ, seu sisæ, nõ per se ipsos, seu per

alios

alios ministros seculares, sed adhibita locorum Ordinariorum Ecclesiasticorum authoritate, & coram illis tã tùm Ecclesiasticos soluere recusantes compellere valeant. Quibus locorum Ordinarijs districtè pręcipiendo mandamus, vt cõtra Ecclesiasticos recusantes, & regulares, & exemptos, nobisque & Apostolicæ Sedi immediatè subiectos, & ad executionem aduersus ipsos, ad quamcunque simplicem eorundem exactorum requisitionem, quacunque appellatione remota, authoritate nostra procedant: Non obstantibus illis, quæ in singulis literis prædictis voluimus non obstare, cęterisque contrarijs quibuscunque. Dat. Romæ, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die xvij. Decembris, M.DC. IIII. Pontificatus nostri, anno tertiodecimo.

M. Vestrius Barbianus.


BIBLIOTECA UNIVERSITARIA